

Universitätsbibliothek Wuppertal

T. Livi periochae omnivm librorvm fragmenta Oxyrhynchi reperta

Livius, Titus

Lipsiae, 1910

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechteinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechteinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2880)

PRAEFATIO

Non forte fortuna neque caeco omnino casu factum videtur esse, ut in vasto Aegypti papyrorum Graecarum et orientalium velut mari perpauca tantum insularum exiguarum instar innatent fragmenta ad litteras Latinas pertinentia. quo enim tempore poetae Romani civium animos ad imitanda exemplaria Graeca acerrime instigabant, eo ipso litterarum Latinarum monumenta hominibus Alexandrinis sorduisse videntur et fastidita iacuisse. id quod ne proximis quidem saeculis multum mutatum esse cum ex moribus eorum, quales Hadrianus epistula ad Servianum consulem data descripsit, elucet, tum hinc quod, qua erant acerba dicacitate, ne ab imperatoribus quidem Romanis eorumque familiaribus illic peregrinantibus abstinuerunt et Traianum Antoninum Caracallam Alexandrum Severum facietis conviciis lacessiverunt. itaque mirandum non est, quod in papyris in Aegypti oppidis repertis perpaucae aetatem tulerunt poetarum Latinorum versus, quos Romae homines *a furno redeuntes lacuque* canebant et pueruli Pompeiani parietibus incidebant, velut Vergili Aeneidis libri primi lacerae quaedam laciniae (Oxyrhynchus papyri vol. I nr. 31, saeculi V), pauciora etiam ad philosophiam pertinentia ut fragmentum quoddam nuper editum (ibid. vol. VI nr. 871 saeculi V ineuntis), cuius oratio Tullianae similior est quam Annaeanae¹⁾. paullo aliter res se habebat in tertio quodam

1) Hoc ea ex re maxime perspicitur, quod *astutiae* vocabulum occurrit aequae ac *haud*, *hice*, *etsi*, de quibus v. quae F. Haasius volumini III operum Senecae p. XIII sq. praefatus est, L. Annaeo Senecae in pedestris orationis libris vitatum, apud Ciceronem satis frequens. ceterum initium fragmenti supra

litterarum genere. vix enim quidquam iam inde a Polybii temporibus hominum Graecorum superbia non occaecatorum animos ad admirationem ita commovebat quam Romanorum rei publicae administrandae peritia et in mala quoque fortuna praeclara constantia, qua quinquaginta et quod excedit annis totum fere orbem tunc notum dicioni suae subiecerant. hinc igitur evenit, ut historicorum Latina lingua utentium et illic repertorum aliquanto plura fragmenta supersint, inter quos praeter versiculos nonnullos, quos editores Grenfellius et Huntius Trogi Pompeii Philippicis tribuerunt (Oxyrhynchus papyri I nr. 30 saeculi tertii), primum locum obtinent satis amplae epitomarum T. Livii librorum trigessimae septimi usque ad quinquagesimum quintum reliquiae octo columnis papyraceis saeculi quarti vel tertii servatae. totum enim Livii ab urbe condita opus maximo aequalium plausu acceptum et multum lectitatum ne ubique extaret, ipsa eius obstabat moles centum quadraginta duobus libris h. e. longe pluribus, quam quisquam ante eum composuerat, octo fere saeculorum res gestas complexi. ita ne homines quidem litterati saeculi p. Chr. n. primi exeuntis et secundi incipientis ut Martialis in bibliothecis suis integri Livii exemplaria habebant (XIII 190), sed idem nos hoc ipso, quod est inter ἀποφόρητα eius epigrammate, excerpta Liviana in exiguis membranis perscripta tunc frequenter in usu fuisse docet. id ipsum igitur hac in re cernitur studium huius aetatis hominum eruditorum illorum quidem, sed solidam ac severam doctrinam iam aspernari incipientium, quo Epicuri et Publilii Syri sententias ex eorum libris excerpebant¹⁾, Ennii versus ex Ciceronis libris de legibus cognoscebant²⁾, in historia ex epitomis quam ex annalibus

memorati ita supplendum videtur esse: *inertia p[otius] f[uit] quam virtute*. II viri Oxonienses ediderunt: *inertia m[agis] ..*. it qu. v. iidem bene observaverunt id, quod sub finem legatur, *nullus ne minimus quidem* apud Ciceronem quoque Tusc. V 16 extare.

1) Seneca de tranqu. an. 11, 8, epist. mor. I 8, 8, cf. O. Roßbach, de Senecae philos. recens. et emendat. p. 85 adnot. 2.

2) Seneca epist. mor. XVIII 5, 33 sq., cf. F. Mewis, de Senecae philos. studiis litterarum, Regimentii 1903, p. 7, 42 sq.

sapere malebant, in philosophia naturali argumentationes mathematicas auctorum Graecorum omittebant.¹⁾

Sed de devetriculo in viam. papyrus igitur illa anno huius saeculi tertio Oxyrhynchi reperta (O) inter Musei Britannici thesauros Oxyrhynchiacos numero 668 insignita asservatur. octo autem columnae sunt videnos senos centimetros altae, sed ita pessumdatae, ut aut sinistrae aut dextrae marginis, in columnis secunda septima octava mediorum versuum magnae partes perierint. in quibus rectis librarius saeculo p. Chr. n. quarto ineunte vel iam tertio²⁾ excerpta illa Liviana litteris bellissimis uncialibus, quae appellantur, et ad amussim ita directis, ut etiamsi parva tantum alicuius particula supersit, plerumque pristinam litteram facili negotio agnoscas, perscripsit. quarum litterarum exempla habes eiusdem fere atque in papyro ipsa magnitudinis in tabula phototypica columnae septimae, quam me rogante redemptor honestissimus huic exemplari adiciendam curavit. columnae octavae, cuius pars dextra periit, similes imagines extant in libris *The Oxyrhynchus papyri* IV tab. VI, E. Kornemann, die neue *Livius-Epitome* aus *Oxyrhynchos* (*Beiträge zur alten Geschichte*, 2. Beiheft), F. Steffens, *lateinische Paläographie* suppl. tab. I, primae columnae in *The new palaeographical society, facsimiles of ancient manuscripts* III tab. LIII. unde melius, quam verbis indicari potest, genus scripturae cognosces ductibus constans certis et aequabilibus, litteris in elementorum b d h m q formis iam ad genus cursivum vergentibus, verborum finibus raro indicatis. librorum initia et novi consules vel alia nomina propria litteris primis supra ceterorum versuum normam, ut fit in inscriptionibus, paululum excedunt. contra versuum fines, quamquam est, ubi iis exeuntibus verborum syllabae dirimantur, maxime inaequales sunt. id quod non, ut Kornemannus putat (l. c. p. 2), inde tantum explicari videtur, quod chartae

1) Seneca nat. quaest. I 4, 1; 5, 13, cf. epist. mor. XIII 3, 24 sq.

2) *Oxyrhynchus papyri* IV p. 91.

scabrities librarium ulterius progredi vetuisset. nam cum alibi tum in versibus 165/6 et 185/6, ubi haec leguntur [*am*]-*ci-[ti]ae* et *de-[f]ormem*, nihil tale obstabat. immo hoc egit scriba, ut diremptiones, quantum fieri poterat, vitaret (non plures quam quindecim vel sedecim sunt in 217 versibus, singulae in prima columna et tertia, binae in quarta, quinta, sexta, septima, octava, ternae in secunda) et legentium commodis inserviens perpauca singulis versibus comprehenderet. itaque versus rarissime plures quam quadraginta litteras habent, plerumque supra triginta paululum ascendunt, nisi quod ineuntibus libris vel exeuntibus et ante vel post memoratos novos consules infra viginti aut decem interdum recedunt. hinc patet in explendis lacunis paulo liberius nobis negotium agere licere et singularum vel binarum litterarum spatia non curare. accedit quod quaedam litterae ut m n p r ceteris latiores esse solent neque intervalla singularum litterarum ubique eadem.

Hanc igitur papyrum Grenfellius et Huntius l. c. p. 90 sq. primi ediderunt, lacunarum partem maiorem expleverunt, locos corruptos, qui plurimi insunt, correxerunt. firmum igitur fundamentum erexerunt, quibus ii, qui postea ad haec fragmenta emendanda accesserunt, sua superstruerent. id quod eo magis hic praedicandum est, quo rarius in iis, quae infra ad haec fragmenta adscripsi, more solito editorum principum nomina singulis locis tacendi eos memorare licuit. ea tamen in re erraverunt, quod perspecto peculiari quodam corruptelarum genere, quo versibus 26 [*Li*]tratum pro [*Li*]terninum scriptum est, 57 *vastaita* pro *bassilica*¹⁾, 72 *grimonibus* pro *criminibus* similiaque, alibi fortioribus etiam remediis papyri verba sanare conati sunt, velut 111, ubi *in Pergamenos* (?) *missi* pro *impugnamtasi* legi volunt, 184, ubi *adhibens deterruit* pro *trigemreddeterbuit*, 217 ubi *primus* pro *planus*. iam vero cum

1) Hanc ipsam formam duplici littera s praeditam Pompeianus quidam ter parieti basilicae incidit, v. CIL IV 1779 et A. Mau, Pompeji in Leben und Kunst² p. 67.

hodie constet *planus* positum esse pro *planipes* (v. infra p. 145) et multo facilius *pugnamentasi* in *Prusiam amen-dati*, *strigemreddeterbuit* in *stringens* (*ensem*) *deterruit* mutare licere, aliis quoque locis ut 182, ubi de voce *indelegem* Grenfellius et Huntius desperaverant, Luterbacherus in *dilectu*, alii alia posuerant, ego iam *intellegens* scripsi, leni manu his vitiis mederi nos posse perspectum est.¹⁾ similia vero quaedam ut 14 *captiannobilis* nondum persanata sunt, sed adhuc medicinam expectant.

Post editionem principem emissam multis certatim ad fragmenta emendanda supplenda explicanda concurrentibus²⁾

1) Similiter Senecae de clem. I 1, 5 locus multum et gravibus remediis temptatus nescio, an sic sanetur: *potes hoc, Caesar, audacter praedicare omnia tua* (*quae* NR, cf. infra p. 98, 13) *in fide et tutela haberi* (*in fidem tutelam* NR), *nihil per te neque vi neque clam mali nasci* (*clamati* NR) *rei* p.

2) Praeter eos, quos supra attuli, sunt hi: H. I. Müller, Jahresbericht über Livius in 'Jahresberichte des Philologischen Vereins' 1904 p. 25, 1905 p. 25 sq.; 1906 p. 22 sq.; K. Fuhr, zu der neuen Liviosepitome in 'Berliner Philologische Wochenschrift' 1904 p. 1183; J. G. Reid, on the fragments of an Epitome of Livy discovered in Oxyrhynchus in 'Classical Review' 1904 p. 290 sq.; M. Schermann in 'Korrespondenzblatt für die Gelehrten- und Realschulen Württembergs' XI 12; V. Costanzi in 'Bollettino di Filologia classica' XI p. 176 sq.; E. Kornemann, Zur neuen Liviosepitome in 'Klio, Beiträge zur alten Geschichte' V p. 135; Drescher in 'Archiv für lateinische Lexikographie' XIV p. 293 sq.; G. Reinhold in 'Wochenschrift für klassische Philologie' 1905 p. 566 sq.; F. Münzer, Anmerkungen zur neuen Liviosepitome in 'Klio, Beiträge zur alten Geschichte' V p. 135 sq.; E. Wölfflin, zum Chronicon Livianum von Oxyrhynchus in 'Archiv für lateinische Lexikographie' XIV p. 221 sq.; P. Lejay in 'Revue critique' 1905 p. 1066; α ζ in 'Litterarisches Centralblatt' 1905 p. 1066; Dietrich in 'Mitteilungen aus der historischen Literatur' 1905 p. 279 sq.; Cl. H. Moore, the Oxyrhynchus epitome of Livy in relation to Obsequens and Cassiodorus in 'American Journal of Philology' XXV p. 241 sq.; L. Valmaggi, Livio, Epitome di Ossirinco 'Bollettino di Filologia classica' XII p. 43; Cl. H. Moore, the Oxyrhynchus epitome of Livius, Iulius Obsequens and Cassiodorus in 'Transactions of the American Philological Association' XXXV p. XVI;

optime de iis E. Kornemannus meruit, qui in exemplari, quod supra memoravi, adiutus imagine papyri photographica plane egregia, quam II viri Angli ei concesserant, haud pauca melius iis administravit. nam quaedam rectius illis legit, plura certis aut verisimilibus supplementis restituit, alia, quae vitia traxerant, correxit, porro commentario historico utilissimo singulas res enarravit et, quae in annorum 150 usque ad 137 a. Chr. historia iam plura quam ante sciremus, exposuit. sed hac in re ab eo dissentio, quod aliquot menda epitomatori quam scribae chartarum corruptissimarum tribuere maluit et 9 *flamen [Quirin]alem* ab eo pro *flamen Quirinalis*, 51 *homini* pro *homines*, 115 *haberen* pro *habere*, 133 *obsidentes Romanos* pro *obsidentes Romani*, 7 *Rhodon* pro *Rhodus* similiaque posita esse putare. de quibus qui plura cognoscere cupiet, ea quae de Kornemanni editione in ephemeride 'Berliner philologische Wochenschrift' XXV (1905), p. 225 sq. exposui, adeat. praeterea ille ob causas, quas ibidem XXIV (1904), p. 1309 sq. refutavi, fragmenta Oxyrhynchi reperta eiusdem fere atque Eutropium et Obsequentem, de quo quando fuerit ambigitur¹⁾, aetatis esse existimat et ex chronico quodam saeculi p. Chr. secundi excerpta (l. c. p. 86 sq.). quae res quia artissime cum quaestione de periochis omnium Livii librorum coniuncta est, quales inde ab eius editione principe Romae anno fere 1469 emissa cum libris, qui integri servati sunt, typis exprimi solent, iam ad has transeamus.

Hae igitur T. Livi periochae omnium librorum ab urbe condita²⁾, nomen illud Graecum acceperunt, cum quid quisque liber 'contineat', hoc ipso verbo frequenter usurpato doceant (v. p. 7, 6; 8, 14; 9, 18; 11, 11; al.).

H. Schenkl in 'Österreichisches Litteraturblatt' 1905 p. 592; J. van Wageningen, ad Livii epitomam Oxyrhynchi inventam in 'Berliner Philologische Wochenschrift' 1905 p. 717.

1) cf. infra p. XXXIII sq.

2) Ita periochae in codicibus ΝΠ inscribuntur, v. infra p. 121, 23. O. Iahnus in editione Lipsiae anno 1853 emissa eas T. Livi ab urbe condita librorum CXLII periochas vocat.

similiter Homerus Sellius sive Silius, incertae aetatis grammaticus, *περιοχὰς τῶν Μενάνδρου δραμάτων* composuerat¹⁾ et Ausonii, quae feruntur, periochae Homeri et C. Sulpicii Apollinaris periochae Terentii et Aeneidis Vergilli hodie supersunt.²⁾ iam vero Livii periochas saeculo quarto p. Chr. ex prolixiore quadam epitoma, de qua post B. G. Niebuhrum (Vorträge über römische Geschichte, herausgegeben von Isler I p. 58) Th. Mommsenus egit (Abhandlungen der sächs. Gesellschaft der Wissenschaften VIII [1861], p. 552, 696), excerptas esse C. Zangemeisterus probavit (Festschrift zur Karlsruher Philologen-Versammlung, p. 87.³⁾)

Quarum principalis et optimus codex manuscriptus Palatinus Latinus 894 (N) est, olim Laurishamensis, nunc^N Heidelbergensis, quem accuratius Musei Rhenani vol. XLIV (1889) p. 66 sq. descripsi et saeculo nono tribuendum esse demonstravi. periochae in eo post Flori epitomam in quadrantalibus formae membranibus exaratae folia 62 a usque ad 104 b explent. correctus est eadem, quae eum exaravit, manu (N¹) partim inter scribendum partim postea ad eum^N codicem, ex quo derivatus est. alia multo minoris pretii saeculo duodecimo manus secunda (N²) mutavit vel in marginibus^N adscripsit, sed ultra folium 80 progressa non est. huius igitur libri 'accurate, quantum fieri potuit', ab Iahnio collati (v. eius praefat. p. V) lectiones passim non ea, quae

1) Suidas v. *Ὀμηρος Σέλλιος* et *Σέλλιος*.

2) cf. Iahnus l. c. p. IX.

3) Praeter periochas illa epitoma etiam Granium Licinianum Vopiscum Festum Obsequentem Eutropium Cassiodorum Idatium Augustinum Hieronymum Orosium libellum de viris illustribus usos esse constat, cf. H. Droyseni editionem maiorem Eutropii Berolini anno 1879 emissam, p. XXXVI sq.; G. Ay, de Livii epitoma deperdita, Lipsiae 1894: E. Woelfflin in annalibus 'Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik' XI (1898) p. 1; M. Flemisch ibid. p. 265 sq.; H. Haupt 'Philologi' vol. XLIV (1885) p. 295 sq.; W. Pirogoff, de Eutropii brevii ab urbe condita indole ac fontibus, Berolini 1873; H. A. Sanders, die Quellenkontamination im 21. und 22. Buche des Livius, Berolini 1897, p. 33; idem, the lost Epitome of Livy 'University of Michigan Studies, humanistic series' I

par esset, diligentia exscriptas esse iam E. de Leutsch monuit (*Exercitationum criticarum spec. I, index scholarum Gottingensium 1859/60, p. 7*) et quaedam in periocha XLIII eius ope correxit. paulo plura M. Hertzius cum Livii sui vol. IV partem II Lipsiae anno 1864 emisisset (cf. p. III), iis usus, quae Th. Mommsenus de codice cum eo communicaverat, restituit. alia perpauca C. Zangemeisterus, qui tunc bibliothecae Heidelbergensi praepositus erat, l. c. p. 90 adnot. 2 alibique et Orosii ab eo anno 1882 Vindobonae evulgati p. 235 inde protulerat. sed vix quisquam sperasset libro denuo excusso periocharum verba ita mutatum iri, ut iam factum est, nisi ego codicem Parisinum 7701 tribus saeculis Palatino recentiore repperissem (v. infra p. XIII) et anno 1885 exeunte contulissem. id quod, praesertim cum plurima in eo inesse vidissem, quibus verba epitomatoris ab Iahnio constituta emendarentur, cum Th. Mommseno, ut tunc solebamus discipuli viri summi Berolinum commeantes, communicavi. qui statim libello ex forulis protracto, in quo, ut postea aliunde accepi, manu C. Zangemeisteri plurima ad Iahnii apparatus criticum adiecta erant, multas codicis N lectiones ab eo omissas, alias minus recte relatas esse me edocuit mihique permisit humanissime, ut illum per horas nonnullas in hospitium, quo deverteram, mecum ferrem. ibi dum rem diligentius pensito, aliquot locos exscripsi et multa cum codicis Parisini lectionibus congruere recordatus mox Vratislaviam redux facile per litteras a Zangemeisteri humanitate impetravi, ut N mihi per mensis spatium eo transmitteretur, ubi quam accuratissime eum contuli.

Hunc librum ne saeculo nono solum superfuisse sumamus, impedit iam folium membranaceum Bernense A 92 B (B) in forma octavaria eadem qua N aetate scriptum, quod periochas librorum sexti usque ad octavum inde a verbis

p. 149 sp. (sed v. quae exposui in 'Berliner philologische Wochenschrift' XXV [1905] p. 1567 sq.); G. Reinhold, das Geschichtswerk des Livius als Quelle späterer Historiker, Berlini 1898; A. Klotz, zur Literatur der Exempla und zur Epitoma Livii 'Hermae' vol. XXIV p. 198 sq.

Sabatina Arniensis (p. 11, 12) ad *consulem facerent* (p. 14, 4) continet. plura de eo exposui praefationis Flori mei p. XX adnot. 1.

Eo autem maius est codicis B pretium, quod cum Pa-p^rrisino bibliothecae nationalis 7701 (olim *Claudii Puteani*, cuius nomen in fol. 1 a legitur) arta cognatione coniunctus est. id quod et hinc elucet, quod in paucis illis periochis cum crebras lectiones cum B N communes habet, tum quod cum B his locis consentit dissentiente N: p. 13, 3, *rostroque (postroque N) 9 impetrarent, 12 ab aulo, 13 decimuris tribus, 18 de occupanda ea.*¹⁾ damnum igitur, quod amissis libri B reliquis foliis fecimus, fere compensatur, cum P si non ex ipso B, certe ex codice eius simillimo fluxisse appareat. praeterea haec quoque lectio, quam B solus servavit, p. 12, 17 *in certamen* exeunte versu (*descendit* om. cum N et ceteris praeter r omnibus) mentione dignissima est. hinc enim perspicitur in archetypo omnium codicum verbum illud, sive *descendit* fuit, quod in editione principe positum est, sive *processit*, quod ego commendavi, excidisse. ceterum P, quem hieme anni 1885 Parisiis contuli, praeter alia (v. musei Rhenani vol. XLIV [1889] p. 70 sq.) in quadrantalibus formae membranarum foliis 76 a usque ad 105 a periochas manu saeculi duodecimi perscriptas praebet. quae aetate quamquam factum est, ut satis multa vitia irreperant, quibus vetustiores libri carent, tamen non minor eorum locorum numerus est, ubi lectiones iis, quas N habet, praestent neque tamen ita comparatae sint, ut vel a doctissimis librariis corrigi potuerint. sunt autem cum alii tum hi²⁾:

p. 21, 24 *furiale* (pro *funale*) *praeferretur* P *furj praeferretur* N

24, 17 *Luccia* (in *Tuccia* corr. Sigonius) *virgo Vestalis* P *Lucia virgo Vestalis* N

27, 16 *idemque q. fabi maximi* P q. om. N

1) v. quae de hoc loco musei Rhenani XLIV (1889), p. 71 et editionis meae Flori l. c. disputavi.

2) Alios locos v. musei Rhenani XLIV (1889), p. 71, 98 sq.

- p. 31, 4 *cum equitibus CC effugit P CC om. N*
 45, 25 *sublacti sunt P¹ subacti sunt P² sublati sunt N*
 49, 22 *et sic postea (pro ex S. C. postea, quod r posuit)
 P et postea N*
 54, 7 *hispani rebellabant P hispani bellabant N*
 56, 26 *quoniam cornelius P² quem cornelius P¹ quo
 cornelius N*
 63, 11 *obstructus a scipione erat P obstructus om. N*
 67, 6 *accidit vox. scl'e. mane P² accidit mane N P¹ 1)*
 82, 20 *Cum L. Postumio praetore P cum om. N*
 92, 15 *in se mucrone uerso P in sem uero neuerso N*
 93, 15 *sylla nolam in samnio P Syllam tam in samnio N*
 96, 17 *fugitiuorum regem uel ducem P¹ fugitiuorum
 ducem N P²*
 102, 23 *iecto archelao P et archelao N*
 110, 6 *pompeius sex. effugit P pompeius exeffugit N*
 111, 11 *qui se c. mari filium P qui se emari filium N.*

emendare librum conata est manus eadem, quae eum scripsit, P¹ (P¹) et verba nonnulla omissa in marginibus supplevit. P² multo plura manus altera (P²) eiusdem aetatis, rubricatoris, ut mihi visum est, mutavit et adscripsit. quae et ipsa, cum aliquot verba a manu priore omissa velut p. 3, 2 *colles* usque ad *fecit*, 32, 2 *ueneno* usque ad *Campanorum*, 3311 *Hannibali* usque ad *liui consulis* adiecerit, codice aliquo videtur usa esse. de orthographia huius codicis aliquanto correctiore quam libri N l. c. p. 72 et 101 sq. egi.

Tertii cuiusdam libri, qui ad eundem atque NP ordinem pertinebat, sed cum N multo artiore cognatione coniunctus erat quam cum P, nihil aetatem tulit nisi adnotationes de eius scripturis satis multae, quas P. Pithoeus, vir doctissimus, Tricassibus anno 1563²⁾ marginibus exemplaris Livii iterum a Carolo Sigonio editi, quod nunc in bibliotheca Bodleiana numero *Auct. 2 R. 1, 5* insignitum asservatur,

1) De hoc loco disputavi ibid. p. 101.

2) Typothetae errore l. c. p. 73 numerus 1562 indicatus legitur.

festinanter allevit. huius igitur codicis Pithoeani (II) ¹¹ lectiones cum Th. Hearnius in Livio Oxoniensi anni 1708 protraxisset, sed neglegenter edidisset, anno 1888 denuo descripsi et Pithoeum aetatis illius more non omnia ex libro suo enotavisse perspexi. quare etiam in adnotationibus huic editioni adiectis iis tantum locis II in censum venit, ubi memoratur. doleo tamen quod in museo Rhenano l. c. p. 72 sq. eum iusto minoris feci. nam praeter hoc, quod p. 57, 12 ultima duo periochae XLVIII enuntiata aequae ac N habet in P omissa, scripturis p. 44, 14 *Stolostobogios* pro *tolos. bogios* (N) vel *tholos bogios* (P), 73, 4 *Sallauuios* pro *salauuios* (NP), 86, 5 *fidem PR manserat* pro *fidem. pr. manserat* (N) vel *fidem permanserat* (P) aliisque propius ad veras lectiones quam ceteri codices accedit.¹⁾ denique II solus extrema periocharum verba (p. 121, 23) *clades Quincilii Vari* servavit. quam rem, cum iam ad spatium libri CXLII explendum necessaria sit, quo nihil nisi bellum a Druso contra Germanos gestum eiusque mortem narrata fuisse vix est probabile²⁾, inde quoque in eo infuisse concludas, quod Iulius Obsequens (p. 181, 14) eam memoravit, quem et ipsum epitoma quadam periochis copiosiore usum esse constat. postquam enim apud examinis prodigium Romanis adversum narravit, ita pergit: *multitudo Romanorum per insidias subiecta est.* sed scimus ex Plinii nat. hist. XI 55 *prosperrime* a Romanis post illud ipsum ostentum *pugnatum apud Arbalonem* esse. itaque fieri non potest, quin postremum Obsequentis quoque enuntiatum ad Vari cladem pertineat. Iahnus enim quod scribendum proposuit *Germanorum pro Romanorum*, neque ipse inter verba scriptoris recipere ausus est, neque iis, qui post eum ad Obsequentem accesserunt,

1) In scriptura *Au. Crisso*, quam II, p. 96, 10 pro *crixo*, quod est in NP, habet, nescio an nomen Romanum ducis servorum Gallici nullo alio loco traditum lateat, cf. p. 120, 22. de *Crixo* v. quae F. Muenzerus in Paulyi et Wissowae encyclopaedia reali IV p. 1724 sq. exposuit.

2) Cassius Dio quinque capitibus (LIV 32, 33, 36, LV 1, 2) has res narravit.

probavit. paulo vero superius (vs. 8), ubi Schefferus *Romanorum Germani* in *Germanorum Romani* plaudentibus omnibus correxit, alia est vitii ratio, cum librarium nomina iuxta posita confudisse appareat. denique notum est, quam saepe ultima quaeque librorum vel capitum verba interciderint.

Alterius cuiusdam codicum classis, quae multo minoris pretii est et libros tantummodo I usque ad VII verba *patriae restituti sunt* (p. 13, 22) continet, duos testes elegi. saeculo undecimo scriptus est Leidensis Vossianus in oct. 14^L (*L*). membranae sunt formae octavariae, in quibus praeter periochas illas (fol. 143 r.—148 vs.) Flori libri quattuor scripti leguntur. contuli codicem, qui ut C periocharum vocabulo omisso sic inscribitur: *de TITO LIVIO ABVRBE condITA*, anno 1889 et nuper de lectionibus eius nonnullis me dubitantem S. de Vries benignissime edocuit.

^C Alter codex est Harleianus 2620, olim Cusanus (*C*), quia in summo margine folii 1r. manu saeculi XVI haec scripta leguntur: *Liber hospitalis S. Nicolai prope Cusam*. qui cum in catalogo librorum manu scriptorum bibliothecae Harleianae annis 1808 ad 1812 Londinii emissio saeculo decimo tributus esset, Baehrenti anno 1875 eum inspicienti (v. I. W. Beck, observationes criticae et palaeographicae ad Flori epitomam, Groningae 1891, p. 8sq.) saeculi undecimi vel duodecimi esse videbatur, mihi anno 1889 eum conferenti decimi demum tertii. exaratus est in formae quadrantalibus membranarum binis columnis et post Florum foliis 43r. usque ad 46 vs. periocharum partem continet. ibi cum in priore columna desinat, ex fonte, qui et ipse mancus erat, eum fluxisse certum est.¹⁾

Iam ambos hos codices, etsi nonnulla vitia cum NP^{II} communia habent, tamen aliunde velut etiam ex eo, quod librum secundum a verbis *Latinis victis montem Aventinum* (p. 2, 5) incipiunt et 11, 5 *sta miles* in *Aestimabiles* corruerunt, artissima cognatione inter se coniunctos esse patet. multo autem magis libris alterius classis interpolati sunt,

1) cf. quae de hoc libro Flori mei p. XVIII sq. exposui.

sed quaedam meliora iis exhibent ut p. 9, 1, ubi omissum in *NP II hoc*, quod post *ob* facilius intercidere poterat quam id, quod ante hanc editionem e principe addebatur *id*, servaverunt et 10, 12, ubi in *NP II* omissum *starent* exhibent (cf. Livius V 36, 6). alibi scripturas librorum prioris ordinis recepi, quamquam ambigas, utrum illi veriora praebeant an LC velut p. 5, 28, ubi *ex quibus*, quod NP habent, omiserunt, 10, 17 ubi *agmine* pro *exercitu* (NP) exhibent, 13, 15 ubi *insederant* pro *consederant*. ceterum in scripturis codicum BLC indicandis aliquanto liberalior fui quam in *NP II* et ex his graviora tantum attuli manifestis mendis, orthographicis similibusque maximam partem neglectis. etenim siquis has res desideraverit, ei ex museo Rhenano XLIV (1889), p. 74sq., ubi plenius de NP rettuli, eas petere licebit, de BLC vero nihil fere aliunde innotuerat. ceterum sicubi ea, quae illic leguntur ab iis, quae iam hic proferam, discrepent, his fidem haberi velim.

Multo maior est codicum recentiorum et longe corruptiorum numerus. inter quos cum librum similem LC, sed omnes periochas complexum inveniri posse aliquando speravisset, tamen, quamquam multos aut ipse inspexi aut per amicos inspiciendos curavi, haec spes me fefellit. nam dici vix potest quantopere a vetustioribus illis degeneraverint et quot quantisque vitiis obsiti sint. sed cum quaedam aut coniecturis reperta aut aliquo modo servata illis meliora habeant, ne hos quidem omnino neglegere licet. ex quorum numero ita a me collatos vel inspectos, ut de eorum scripturis spondere possim, hos habes:

Leidensem Gronovianum 107, membranaceum, saeculi decimi quinti, qui in octoginta uno foliis formae minimae (16^o) ita perscriptus est manu Italica, ut periocha Ib aliaque satis multa desint, alia velut verba p. 71, 20 *a quo senatu* usque ad 78, 13 *transgressi: ibique* male p. 91, 4 post *teneretur* collocata sint. desinit in verba *equo super crux eius colapso* (sic, p. 121, 17). reliqua perierunt.

Vossianus

Leidensem Vossianum oct. 54, dum hic liber typis exscribitur, contuli Regimontium ut antea Gronovianum li-

beralissime transmissum. exaratus est anno 1440, in formae octavarum membranarum (0,127 × 0,195) manu Italica elegantissima, quae scripturam saeculi decimi secundi perite imitatur.¹⁾ cum codex, unde describebatur, alicubi detrimentum cepisset, librarius aliquot lacunas exigui plerumque spatii indicavit. continet hic liber praeter periochas sic inscriptas: LVC<I> F<LO>RI VIRIDI LIGENTISSIMI BREVI TAS SUPER ET PER OMNES .T. LIVII LIBROS ACCURATISSIME DIGESTA INCIPIT FELICITER²⁾ et folia 2r. usque ad 56r. implentes Livii vitam (fol. 56 vs. — 57 vs.), Aurelii Victoris, qui feruntur, viros illustres (fol. 58r. — 83 vs.), tractatum renascentium aetate litterarum compositum de re militari Romanorum anonymum (fol. 84r. — 90 vs.). paulo melior est ceteris eiusdem farinae codicibus. itaque in apparatu critico eum saepius illis memoravi et hic addam, quod sero vidi, p. 121, 10 pro *Chumstinctus* in eo *chunistinaus* extare, quae scriptura id, quod ab epitomatore scriptum fuisse conieceram *Chunistinctus*, comprobatum vidi.

Barberinianus De libro Barberiniano IX 44, quo iam I. F. Gronovius usus erat, sciscitanti mihi Chr. Huelsenus anno 1891 nonnulla humanissime rescripsit. cui saeculo decimo quinto Florentiae exaratus esse videbatur. continet autem in formae maximae membranarum praeter periochas (*Epithomae de Tito Livio*) ultimo loco positas Livii bellum Macedonicum (decadem quartam) et Lucii Flori epitomam. magis etiam interpolatus est Vossiano.

Parisini Similes esse codices duos Parisinos recentiores ex iis intellexi, quae E. Freymond meus, vir litterarum Latina-

1) v. quae de similibus codicibus exposui in actis hebdomadariis 'Berliner philologische Wochenschrift' XVII (1897) p. 1042 sq. et XX (1900) p. 1482.

2) Aetas huius libri ex subscriptione eius, quae post verba similia inscriptioni supra allatae haec habet: explicit Feliciter AB NATO DNO Iſ xpo. olympiade. c^{cc}. L^x. rhodi. vita, perspicitur. post Livii vitam fol. 57 vs. elumbe hoc distichum legitur: *Haec tituli brevitas digesta per omnes Vnusquisque libros quid ferat ipsa notat.*

rum non minus peritus quam Romanensium, de iis Parisiis anno 1906 ab ipso inspectis mecum communicavit. uterque liber, quorum alter numerum 5743, alter 5744 portat, et in vetere bibliothecae catalogo et nunc etiam ab Henrico Omont saeculo decimo quinto tribuitur. scatent autem vitis interpolationibusque pariter ac Cracoviensis bibliothecae universitatis 416 saeculi decimi sexti, de quo egi accuratius editionis Flori p. XXII. ex plurimis lectionibus, quas inde excerpsi, mihi eum ex P aut ex libro simillimo descriptum esse apparuit.

Quae ex codice saeculi decimi quinti Guelferbytanus 175 (olim Gudiano 4) attuli, ab Iahnio petivi, qui editionis p. V de eo egit.

Drakenborchii fide, quam collato a me libro Vossiano (v. p. XVII sq.) non satis certam esse apparuit, ea nituntur, quae infra protuli de codicibus Leidensi bibliothecae publicae Latino 19 cartaceo, quem S. de Vries saeculo decimo quinto exaratum esse benignissime mihi scripsit, de Bergiano cartaceo (post Nic. Heinsium erat Ioannis van den Bergh, qui eum Drakenborchio utendum permisit), de Boendermakeriano membranaceo (olim Th. Boendermakeri Traiectini, postea a C. A. Dukero in Drakenborchii usum ibidem collato), de Loveliano secundo membranaceo (a Thoma Coke barone de Lovel ex Britannia Traiectum Drakenborchio transmissio). quibus libris, cum neque iis recentioribus, quos ipse inspexi, meliora praebeant, neque vetustiores videantur fuisse, conquirendis, dummodo aetatem tulerint, iterumque conferendis tempus terere nolui et scripturas ita, ut apud Drakenborchium inveneram, repetivi. sic iam factum est, ut incerta illa nota ξ , quae alios apud scriptores plurimas turbas dedit et nunc quoque dat, in hac editione nusquam compareat. vergunt autem, quantum vidi, omnes hi libri maxime ad P. ceterum eos, cum maior pars earum lectionum, quas peculiare habent, coniecturis reperta esse videatur, integris nominibus, non notis memoravi.

Agmen claudunt inter se simillimi codex Norvicensis

et editio Romana princeps. hunc in membranis scriptum Th. Hearnius, cui Ioannes Morus, ante Norvicensis, postea Eliensis episcopus, transmisserat, contulit eiusque scripturas in Livii editione Oxonii anno 1708 evulgata adnotavit. r. editionem principem (r) anno fere 1469 Romae ab Ioanne Aleriensi typis expressam, cuius exemplar in bibliotheca regia Berolinensi extat, Iahnii in usum Carolus Schubartus et Conradus Bursianus, discipuli eius tunc Berolini commorantes, contulerunt, non accuratissime, ut ipse praedicat (editionis p. III), sed satis neglegenter. id quod iam ex iis, quae r benevolentissime mihi huc transmissio et denuo comparato p. 3 sq. huius exemplaris mutanda erant, intellegitur. nam praeter leviora multa ab illis falso relata *uicti* pro *uicit*, *Trigeminorum* pro *tergeminorum*, *Temptande* pro *hic temptande* in r extare vidi. quare aequae ac Iahnii huius plenam varietatem lectionum proposui. accedebat quod hoc exemplo effrenata saeculi decimi quinti hominum interpolandi libido oculis ingeritur. neque enim ea sola, quae corrupta esse opinabantur, gravissimis remediis sanare conati sunt, sed alia multa ad arbitrium suum immutaverunt. superlativi igitur r amantissimus *maximus* pro *magnus*, *speciosissimum* pro *speciosum*, *uir ex Poenis nobilissimus* pro *u. e. P. nobilibus* similiaque multa scripsit. deinde *quidem* et *omnino* saepissime et iis quoque locis, ubi apta non sunt, inseruit, *omnium* post *primus* addidit, *primum* post *tunc*, *aduersus* in *contra* vel *aduersum*, *hostis* in *inimicus*, *interficere* et *occidere* in *perimere*, *non* in *minime*, *talis* in *huiusmodi*, *totus* in *uniuersus* mutavit multaque alia commisit. tam saepe autem Norvicensis cum eo consentit, ut dubius haereas, utrum ex eo vel simillimo codice r fluxerit, an ille ex r derivatus sit. verum tamen ne his quidem in sordibus margaritae quaedam desunt, v. p. 9, 4; 10, 25; 24, 17; 49, 22; 59, 2; alios locos. ceterum hoc quoque testium par maxime ad P vergit.

- o. Iam vero redeamus ad fragmenta Oxyrhynchica (o). nam quod initio periocharum servatum est primi libri argumentum (Ia), post quod alterum eiusdem libri sequitur ab Anco

demum Marcio incipiens (Ib)¹⁾, illis narrationis genere, enuntiatorum brevitate, participiorum perfecti sine copula cum nominibus coniunctorum frequentia, aliisque simillimum est. itaque paulo post publicatum O, hanc rem exposui (Berliner philologische Wochenschrift XXIV [1904], p. 1021 sq.) et O ab eodem atque Ia homine compositum esse conclusi. oblocutus est Kornemannus (ibid. p. 1182 sq. et Beiträge zur alten Geschichte 2. Beiheft, p. 78 sq.), sed id, quod sumpseram, ita probavit, ut similia illa multa extare concederet²⁾, alibi tamen O ab Ia discrepare diceret. neque enim substantiva verbalia, quae Ia haberet ut *adventus Aeneae* (p. 1, 1) et *Superbi expulsio* (2, 4), in O reperiri. deinde O periodos habere dixit, Ia non item. quae facilia erant refutatu (Berliner philologische Wochenschrift l. c. p. 1309 sq.). fugerat enim virum eruditissimum in O quoque (18) legi *inter Achacos et Lacedaemonios cruenta proelia*. quas autem libri O periodos dixit velut (44) *Gallis in Ital[iam profectis Ma]rcellus [p]ersuasit, [ut domum redire]nt* aut (210) *P. Africanus cum L. Cottam [accu]sar[et, iudices ob] magnitudinem nom[inis cum] cad[ere noluerunt]*, vereor ne hoc nomine indignae sint. certe vix diversa sunt ea, quae Ia habet (p. 1, 3) *Numitoris filia a Marte compressa nati Romulus et Remus* et (ibid. 15) *Tarquinius Priscus Latinos superavit, circumfecit, finitimos devicit, muros et cloacas fecit*. attamen hoc largior Kornemannus O per librariorum multa omittentes, pauca mutantes a pristina horum excerptorum forma admodum degeneravisse. id quod iam inde perspicitur, quod de prodigiis, quae Iulius Obsequens haud dubie non ex Livii ipsius libris hausit, nihil omnino O tradidit. verba vero ipsa ita servavit, ut in nominibus *Suriaque* (214;

1) E. Woelfflinus, cum Iahnus I b *diversa . . . excerpta a diversis hominibus adscripta* dixisset (editionis p. X), I b ab uno homine profectum esse certis argumentis evicit in Commentationibus philologis in honorem Th. Mommseni p. 338 sq.

2) Kornemannus in 'Beiträge zur alten Geschichte' l. c. dixit, daß nun *Per. Ia sehr stark dem neuen Text ähnelt, ergibt schon ein flüchtiger Vergleich*.

Syria 139, 157) et *Sullanis* (226) vestigia orthographiae Claudiana aetate vetustioris supersint.

periochae

Ad haec enim fere tempora periochas pertinere oratione earum diligenter considerata E. Woelfflinus comprobavit (l. c. p. 349sq.), postquam Madvigius (editionis vol. IV p. VI adnot.) 'argenteae aetatis' vocabula in iis inesse breviter significavit. velut praepositio *citra* sic adhibita, ut eandem vim habeat ac *sine* (p. 116, 18, cf. p. 87, 20), non ante Senecam filium aut Columellam, *per omnia* (90, 10) non ante Velleium, *captivitas* (82, 12) non ante Senecam patrem, *ducatus* (108, 19) non ante Suetonium aut Florum repertiuntur; porro vetustiores scriptores pro eo, quod epitomator habet, *in totum* (34, 5; 36, 15) *in omnia* ponere solent, nondum praebent verbum *avocari* ea notione, qua 80, 7 legitur¹⁾, nondum utuntur vocabulo *indubitatus* (80, 23), quod ante Senecam filium non invenitur²⁾. orthographiam quod attinet, et ipsae recentiores formae ut *Corinthon* (64, 12; 16); *Nicomeden* (61, 16), *Syllae* (77, 16), de quibus v. quae exposui De Senecae recensione et emendatione p. 127 sq., Musei Rhenani XLIV (1889) p. 102, Berliner philologische Wochenschrift XXXIII (1903) p. 508 sq., occurrunt. res ipsas si spectamus, hoc mentione dignum mihi videtur, quod idem litterarum studium cernitur in verbis *extat oratio M. Catonis* (46, 11, cf. 71, 17), in similibus *Acilius senator Graece res Romanas scribit* (65, 22), in mentione crebra Ciceronis et Hortensii (81, 1; 99, 7; 101, 23; 107, 11; 114, 7; 115, 22, alibi), quo Seneca epist. moral. XVIII 5, 33 grammaticos suae aetatis in tractandis et excerptendis aliorum libris flagravisse tradidit et Fronto epist. ad M. Antonin. II 5,

1) v. Thesaurus linguae Latinae II p. 1470, 6, cf. Seneca de prov. 3, 10 et consol. ad Polyb. 17, 6, ubi Gertzius eumque secutus Hermes ex fallacibus codicis Ambrosiani vestigiis male *sevocare* pro eo, quod est in libris recentioribus quibusdam *avocare*, immerito posuerunt.

2) Ante Woelfflinum de periocharum genere dicendi J. Britzlmayrus egit in programme gymnasii Maximiliani Monacensis anni 1859 'Ein Schärfflein zum Thesaurus Latinus' ibidemque locos nonnullos illarum et Obsequentis corruptos sanavit.

p. 107 N. *ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat se excerpsisse narrat, quibus inesset aliqua de eloquentia vel philosophia vel de re publica disputatio.* Graecae tamen linguae epitomato-rem non satis gnarum fuisse forma *Tarenton* (30, 11) docet.

Ceterum quisquis is fuit, qui periochas composuit et nomen suum consulto videtur tacuisse, etiam praeter res gestas memorabilia quaedam nos docet. ex iis enim, quae libro centesimo nono usque ad centesimum decimum sextum praescribuntur, hos, quos commentatores quoque Lucani eodem nomine, ubi fragmenta ex iis afferunt, appellant (ad *Pharsal.* III 182, X 521), *civilis belli* nomine comprehendi solitos esse cognoscimus. quorum librorum, quibus de bello, quod inter Caesarem et Pompeium fuit, agebatur, Apollinaris quoque Sidonius videtur gnarus fuisse. nam hic epist. IX 14, 7 cum amico quodam, qui *laudem Caesaris Iulii* ediderat, de iis loquitur, *quae de titulis dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus.* gravius est id, quod ex inscriptione libri centesimi vicesimi primi discimus, *qui editus post excessum Augusti dicitur.* quod utrum verum fuerit necne, dubitare licet, hoc tamen certum videtur esse in illo libro infuisse, propter quae eum nisi mortuo Augusto publicari non potuisse omnibus persuasum esset. librum autem illum, cum nihil fere aliud nisi bellum inter Dolabellam et Cassium gestum huiusque mortem tractet et Octavianum legem tulisse constet (Appianus bell. civ. III 95), qua Dolabella, quem senatus hostem iudicaverat, proscriptione absolvebatur, cur post Augusti demum mortem editum esse aut vere aut falso dixerint, iam perspicitur. praeterea laudes Cassii, qui Dolabellam a senatu bello persequi iussus erat, Livius haud vitavit (Tacitus ann. IV 34). quibus et ipsis fieri non poterat, quin Augustus offenderetur, a quo illum, quamquam in eius libris inerant, quibus eum fere adlaretur¹⁾, tamen Pompeianum dictum esse notum est.

1) Verba, quae apud Obsequentem p. 178, 11 leguntur: *ipsi Caesari monstrosa malignitate Antonii consulis multa perpesso generosa fuit ad resistendum constantia*, a Livio petita esse cer-

Sed existit quaestio subdifficilis, quomodo traditae sint periochae. atque Iahnus quidem diiudicari non posse dicit (p. XIII), 'qui factum sit, ut ultimorum librorum periochae prioribus longe breviores et aridiores legantur, utrum eius, qui Livii libros excerpserit, an librarii, qui periochas descripserit, ad finem properantis negligentiaetribuendum sit'. mihi vero utrumque factum videtur esse. scimus enim ex Senecae patris et Quintiliani, quae feruntur, declamationibus in rhetorum scholis multo frequentius tractata esse vetustioris rei publicae Romanae usque ad Marium et Ciceronem exempla quam posterioris aetatis. porro lacunae in periochis octogesima usque ad ultimam longe crebriores sunt quam in iis, quae praecedunt (v. p. 88, 7; 95, 15; 16; 99, 7; 101, 13; 104, 10; 12; 105, 20; 108, 1; 110, 6; 115, 22; 117, 1; 120, 7; 13; 121, 23). hoc vero scholiorum et enchiridiorum mythologicorum velut Hygini fabularum exemplis, quibus similes sunt periochae, constat minore cum religione librarios negotium haec describendi administravisse quam poetas oratores philosophos. inclinabant autem eo maxime, ut quae ipsis mentione minus digna visa essent, aut omitterent aut in brevior formam contraherent.

interpolationes

Ex contrario periocharum ipsa natura ad nihil aliud magis invitabat quam ad interpolationes. neque enim defuerunt, qui in nimia illarum brevitate offendentes aut ex memoria aut ex ipsius Livii opere integro satis diu servato aut ex epitomis plenioribus nonnulla adscriberent. id quod cum iam librorum recentiorum scribae velut Gronoviani (v. p. 77, 14) et veteres viri docti ut I. F. Gronovius (14, 16; 56, 15; 105, 7) et Perizonius (55, 14) animadvertissent, opera data post Iahnium (p. X sq.) E. Woelfflinus de longioribus additamentis quaesivit in 'Commentationibus philologis in honorem Th. Mommseni' p. 340 sq. quod breviora attinet, duplex eorum est genus, alterum nimiam periocharum taciturnitatem explicantium, alterum per errorem

tum est, apud quem vocabulum *malignitas* crebro reperitur velut II 42, 1. pertinent autem ad librum CXVII.

plerumque aliquid addentium. hoc autem p. 1, 3 cernitur, ubi ad *Albae* interpolator *Italiae* vel *Italae* (ita codex C habet) apposuit, ut Albam Longam ab aliis eiusdem nominis oppidis velut Alba Helvorum Galliae aut Alba Pompeia Liguriae distingueret. nam et *Silvii*, in quod Iahnus editionem principem secutus *Italiae* mutavit, hodie vix quisquam probabit. ab eodem ineuntis fere medii aevi interpolatore 25, 11 in *Italia* videtur profectum esse. quod cum ad nomina *Placentia* et *Cremona* in margine adscripsisset, ad initium proximae periochae per errorem librarii alicuius relatum est, ut iam Gronovius perspexit. 38, 16 et 18 annorum ab urbe condita numeri adiecti et locis non idoneis recepti turbas dederunt. 41, 19 vocula *hoc* adscriptis verbis *rerum factarum* (*gestarum* editores post Frobenium omnes) *multitudinem* explicata erat; in *hanc* r demum eam mutavit. 51, 9 haec verba tradita sunt: *ab obsidione solo regis ab-sisteret*, quae cum r in *ab obs. socii regis abs.* mutari solebant. sed *obsidione* ab interpolatore profectum esse intelleges, si verbi, quod praecedit, *obsideret* memineris. 105, 7 *id* subditivum esse iam Gronovius vidit. paulum differunt loci p. 14, 16 et 26, 24. alterum breviorum interpolamentorum genus hoc est, ut verbis epitomatoris male intellectis aliquid adiectum sit. 27, 1 homo, qui nesciebat praepositionem *adversus* etiam postponi posse, *contra* ante voces *ferocem tot victoriis hostem* apposuit. unde evenit, ut in libris recentioribus, Leidensi, Vossiano, Boendermakeriano, *adversus* ad id, quod sequitur, *proeliis* tractum in *adversis* mutaretur. 55, 14 in verbis *lecto se strato sine linteis sine purpura efferrent* prius *sine* delendum esse Perizonius intellexit, 56, 15 et 16 *Africanus* et *Corneli* Gronovius et is, qui exemplar Aldinum correxit. 63, 7 voculam *passus* post numerum milium circuitus Carthaginis urbis male adiectum esse H. I. Muellerus perspexit. 76, 15 homo nescio quis oblitus paulo supra *Romam venit et propter caedem admissam in regulum quendam legi Romae interfectum* adscripsit, quae verba Iahnus merito uncinis circumdedit. similiter res se habet 77, 14, ubi, quamvis voces *volente Boccho* praecedant,

noluit repetitum est, sed iam in codice Gronoviano eiectionum. 111, 8 *est* contra epitomatoris usum appositum est. 113, 26 ambigi poterat, utrum *caesus* cum *r* delendum esset, an id, quod sub finem eiusdem enuntiati legitur, *interfectus est* (114, 1). sed si reputaveris interficiendi verbum altero magis vulgare esse et interpolatorem sua post verba genuina addere solere, mihi *interf.* e delenti assenties. — in longioribus interpolationibus statuendis ea, quae Woelfflinus oratione earum diligenter considerata posuit (l. c.), maximam partem probare mihi non licuit. nam primum nonnullis locis iam ex codicibus accuratius examinatis ea ipsa, quae ille usui epitomatoris repugnare rectissime perspexerat, immutanda esse constat. velut p. 28, 7 N more per totam Latinitatem retento vocabula *uirgines uestales* collocata habet, non *uestales uirg.*, ut Pr posuerant, quorum lectionem Iahnus receperat.¹⁾ porro 112, 21 non *subiecit*, ut Woelfflinus ex Iahnii exemplari descripsit (p. 345), in N legitur, sed id ipsum, quod dicendi genus flagitat, *subegit* et 95, 15 duo pronomina relativa a Woelfflino vituperata (p. 346) nisi in recentissimis codicibus non comparent et ne a Iahnio quidem in orationem recepta sunt. ad alias interpolationes ab illo statutas quod attinet, idem in eum cadit, quod ipse Iahnio exprobravit (p. 348), ignorari, quod consilium epitomator secutus sit et quale eius iudicium fuerit in rebus

1) v. Woelfflinus, p. 344. quod eiusdem periochae vs. 6 in nomine *Florentia* epitomator ab Livio ipso XXII 57, 2 illam verius *Florumiam* dicente discrepat, hoc immerito Woelfflinus ibidem interpolatoris signum esse contendit. notum enim est, quam facile in nominibus propriis scribendis errores committantur et ab excerptoribus et a librariis. ceterum in eodem Livii libro 4, 6 videtur legendum esse *agmina-hostium ex pruribus callibus (uallibus codd.) decucurrerant*, cf. 14, 8 et 15, 10. ibid. 10, 2 certum puto hanc pristinam scripturam esse: *ratum (datum codd.) donum duit populus Romanus Quiritium*. ibid. 16, 7 locum lacuna hiantem sic suppleverim: *faces . . . collectae fascesque virgarum atque aridi sarmenti <consarcinantur> praeliganturque cornibus bouum*, cf. Polybius III 93, 3sq. *Ἀντίβας — παρήγγειλε λαμπάδας δεσμεύειν ἐκ τῆς ξηρᾶς καὶ παντοδαπῆς ὕλης κτλ.*

eligendis, quas Livius narravisset. quamquam igitur iure verba de T. Latinio (6, 13) contra Iahnium defendit (p. 348), alibi velut in verbis *Cicero eius rei solus auctor* (81, 1) ideo in suspicionem vocatis, quod hoc uno loco epitomator rei narratae auctorem indicaverit¹⁾, ipse haud dubie lapsus est (l. c.), aut quod 98, 27 argumenta epistularum Q. Metelli et Cn. Pompei memoraverit, cum idem iam 59, 25 in orationibus Galbae neque eam ob causam, ut inter se distinguantur, factum sit (p. 346). nec magis probare licet, quod 74, 2 veriloquium nominis Balearium eam ob causam obelo notatur, quia periocharum decursum interrumpat (l. c.). quasi vero talia cum omnibus scriptoribus tum epitomatori rerum antiquarum studioso non sint permissa.²⁾ denique negandum est ei, qui alibi *belli et pacis artibus* (46, 4) scripserat vel plerumque *acie, proelio vincere, fundere* posuerat, alibi non *belli militiaeque artibus* (95, 16) vel *bello superatus* (65, 13) dicere licuisse (l. c.). quibus de causis similibusque aliis perpaucas ex maioribus interpolationibus a Woelfflino statutas aut Iahnio aut aliis probavi has: 38, 16; 18; 76, 15; 78, 18; 92, 7; 98, 13. ceterum doleo quod p. 2, 8 uncini, qui poni debebant, interciderunt.

Quod clausulas rhythmicas attinet, non multum ex clausulae iis emolumenti ad verba epitomatorum constituenda redundat. eundem enim fere tenorem servant atque Livius ipse, quem multo minus severum in hac re esse constat quam Ciceronem.³⁾ itaque vix differunt periochae a fragmentis Oxyrhynchiacis in eo, quod interdum placidum decursum clausularum ditrochaicarum vel dispondiacarum (L U U U) creticae vividiores interrumpunt (p. 3, 3 sq.; 5, 9 sq.; 7, 8 sq.; 11, 8 sq.; 21, 22 sq.; 28, 11 sq.; 37, 13 sq.; 81, 1 sq.; 121, 9 sq.;

1) Memineris eius rei, quam p. XXII tetigi, nimio fere studio Ciceronem ab epitomatore memorari. accedit quod Valerii Antiatii mentio iam 78, 1 perquam probabili Zangemeisteri coniectura restituta est.

2) v. supra p. XXII sq.

3) E. Norden, die antike Kunstprosa II, p. 936 sq. orationum Livianarum et Ciceronianarum clausulas inter se comparavit.

127, 32 sq.; 145, 209 sq.). verum cum alibi neque raro contra hanc legem ita peccatum sit, ut pro creticis etiam dactylicae aliaeve admittantur (100 10 1, 17; 2, 3; 7; 9, 6; 17, 26; 19, 20; 131, 83; al.; 100 10 5, 3; 6, 25 sq.; 8, 11; 23; 10, 5; 11, 1 sq.; 13, 7; 17; 22; 131, 89; al.), ob clausulas solas nihil mutare ausus sum. quare quae ex his causis corrigenda videri possint velut 7, 4 pro *fuste percussit*, ut in dispondeum enuntiatum exeat, *fusti p.*, 35, 19 similiter pro eo, quod traditum est, *deportata Romam esset* verbis transpositis *Romam dep. e.*, 116, 23 pro *occupaverunt* ditrochaeus *occuparunt* 141, 175 *clades accepta* pro *cladis acc.*, ea incertissima sunt. 20, 25; 25, 11; 70, 17; 98, 15 tamen supplementa statuta vel interpolationes clausulae confirmant.

Iulius
Obsequens

Epitomis Iulii Obsequentis prodigiorum librum adieci. de cuius aetate et crisi cum Musei Rhenani LII (1897) p. 1 sq. disseruerim et postea ab L. Wuelkero de prodigiis Romanis publicis utilis commentatio emissa sit¹⁾, pauca tantummodo hic eaque potissimum, de quibus iam aliter sentio quam tunc, dicenda sunt. primum igitur prodii hic libellus pessime servatus anno 1508 Venetiis in aedibus Aldi Pii Manutii et Andreae Asulani soceri et quasi corollarium quoddam editioni ab iisdem curatae Plinii minoris et librorum de viris illustribus Suetoniique de claris grammaticis et rhetoribus subiectus est. dicit autem Aldus praefationis p. IX eum sibi a Lucundo dono datum esse. ex hoc exemplari, cum nullus postea Obsequentis liber manu scriptus repertus sit, cetera omnia fluxerunt et infra notis non adiectis, ubicunque illud ab hac editione discrepat, praeter res orthographicas et alia quaedam levidensia subnotavi. satis vero crebro libellus recusatus est, quia prodigia cum

Aldina

1) Ludw. Wülker, die geschichtliche Entwicklung des Prodigienwesens bei den Römern, Studien zur Geschichte und Überlieferung der Staatsprodigien, Leipzig 1903. ante eum F. Luterbacherus de prodigiis egerat in programme gymnasii Burgdorfensis primum anno 1880 edito et sic inscripto: Der Prodigien Glaube und Prodigienstil der Römer. quod a scriptore auctum et emendatum iterum prodii Burgdorfii anno 1904.

miraculis Christianis comparabantur¹⁾. sed ex magno exemplarium numero, quae O. Iahnus praefationis ad Livii periochas p. XIII sq. recensuit, pauca aliquid ad orationem emendandam contulerunt. dignus est qui memoretur Conr. Lycosthenes (Woolfhart), quod primus Obsequentem solum Basileae anno 1552 emisit et prodigia, quae non habet, ex aliorum scriptorum libris adiecit. raro tamen ei contigit, ut verba corrupta corrigeret. hanc rem Ioann. Schefferus melius administravit editione Amstelodamensi anni 1679, qui Aldinam unicum fontem esse perspiciebat editorum, qui insecuti erant, errores exterminavit, ipse plurima vitia sustulit aliosque locos male intellectos recte interpretatus est. quamquam autem alibi in errores incidit, negare non licet eum optime de Obsequente meruisse. quos errores qui refutavit Franc. Oudendorpius adulescens editione Lugduni Batavorum anno 1720 emissa, sat multa menda a Scheffero non sanata aut suis aut I. I. Scaligeri N. Heinsii G. Cuperi coniecturis, quas P. Burmannus I ei permiserat, correxit. praeterea Aldina ipsa usus est, cuius apographo tantum a Beato Rhenano Argentorati anno 1514 evulgato Scheffero, qui in Suecia degebat, uti licuerat. nihil fere ad Obsequentem emendandum aut explicandum J. Kappius et C. B. Haasius exemplaribus Curiae Regnitianae anno 1772 et Parisiis anno 1823 una cum Valerio Maximo et Ioanne Lydo emissis contulerunt. secutus est O. Iahnus, qui propius etiam ad

1) Lycosthenes sub finem praefationis haec dixit: 'Obsequentis prodigiorum librum . . . eo libentius hoc tempore edere volui, ut gentilium prodigia cum his, quae nostro tempore divinitus eduntur, conferrentur: et expenderetur deinde ex rerum eventu, horrenda illa signa semper aliquid imminentium malorum hominibus portendisse, quo aliorum tandem exemplo moniti evitandorum periculorum rationes eo diligentius iniremus'. cf. etiam C. Klotzsch, de diligentia Livii in enarrandis prodigiis recte aestimanda, Wittenbergae 1789, p. 25 sq., ubi in Tindalum Morganum Humium invehitur, 'qui illas narrationes scriptorum profanorum in eodem loco ponere vellent cum historia de vita et factis ipsius Servatoris nostri, quae est in libris sacris N. T.'

editionem principem accedens et a Th. Mommseno adiutus haud pauca vitia sustulit, lacunas multas, quas priores editores non viderant, detexit, Lycosthenis supplementa merito abiecit. post Iahnium H. Hauptius programmate Budissensi anno 1881 edito libellum sedulo pertractavit et plurima mutanda esse breviter plerumque significavit.¹⁾ cuius diligentia in conferendis historicorum narrationibus de iisdem prodigiis et acumen, quo nonnullos locos tractavit, ut laudanda sunt, ita vituperandum est nimium novandi studium, quo Obsequentis verba ad ea, quae alibi tradita sunt, et Donati leges immutare conatus est. ex Livii editoribus solus H. I. Muellerus Obsequentem in editionem Weissenbornianam secundam, quae commentario Germanico instructa Berolini apud Weidmannos anno 1881 iterum prodiiit, recepit et quaedam suis aliorumve coniecturis egregie emendavit, plerumque tamen Iahnium secutus est.

Iam ut egomet ipse ad huius quoque libelli crisin aliquid conferrem, primum denuo eius verba, qualia Iahnium constituit, cum editione principe contuli et quamquam illum multo diligentius rem administrasse quam in periocharum codice N vidi, tamen nonnulla hic quoque ab eo praetermissa esse intellexi, quorum partem musei Rhenani LII (1897), p. 9 indicavi, partem nunc demum in verba scriptoris tacitis recepi aut in adnotationibus commemoravi. id tantum hic monendum duxi Aldinam annorum consules, quibus omnia capita incipiunt, semper singulis versibus praescriptos exhibere. id quod cum priores editores secuti essent, Iahnium demum ita mutavit, ut eos continua scriptura cum primis capitum verbis coniungeret. quamquam autem levissime videtur hoc esse, tamen, si meminerimus Obsequentem ex epitoma Liviana per consulum annos digesta pendere eiusque fragmenta Oxyrhynchi reperta et ipsa consulum

1) H. Haupt, animadversiones in Iulii Obsequentis prodigiorum librum, Budissae 1881. G. F. St. Stieberi commentationem, quae inscribitur Coniectanea et opiniones in nonnulla Ovidii Iulii Obsequentis et Persii loca (Erlangae 1786) Iahnio pariter atque Haasii editionem ignotam frustra hic et alibi quaesivi.

nomina illa singulis versibus supra ceterorum seriem paululum excedentibus comprehendere, iam archetypum quoque, ex quo codex Iucundi fluxit, ita exaratum fuisse perspicitur. ceterum reliquorum quoque versuum archetypi ambitum aequae ac papyri satis brevem fuisse hinc videtur elucere, quod graviores quaedam corruptelae transpositis in idem aut proximum enuntiatum verbis facile sanantur (v. p. 156, 16; 160, 17; 166, 10; 173, 5; 178, 16). praeterea patet consulum nomina illo modo praeposita alicubi, id quod re vera factum est, intercidere potuisse, praesertim si, ut crebro usu venit in codicibus, post scripta atramento capita a rubricatore minio appingebantur. in his igitur, ubi exciderant, addendis, qua in re H. I. Muellerus et iam Oudendorpius praecesserant, Iahnus nimis cautus fuerat, aliquanto plus licere mihi putavi, v. p. 151, 12; 152, 12; 153, 11; 159, 18; 160, 8; al. contra in oratione ipsa constituenda, cum id, quod Iahnus sumpserat (p. XV), libellum a primo editore licenter immutatum esse probari nequeat¹⁾, ea tantum, quae corrupta esse omnino patet, correxi, alia, quae ob causas grammaticas vel historicas a prioribus iniuria temptata mihi videbantur, intacta reliqui. cur enim scriptor, quem, nisi a prolixiore illa epitoma Liviana pendet, infantem esse et nullo stilo uti Iahnus merito dixit (ibid.), non scribere potuit *insula nova maritima* (p. 152, 3) aut *in publicum* pro *in publico* (157, 22) aut *fuit visa* (159, 11) aut *Iovis* nomen 153, 1 positum paulo inferius (2) repetere aut praepositionem *e* ante ablativum *terra* omittere (157, 4, cf. 166, 2²⁾; 170, 13; 173, 16) aliave similia committere? porro asyndeton *patrimos matrimos* (151, 6) altero *saxa tegulas* (169, 20) videtur defendi³⁾; 156, 2 verba *duceretur*

1) v. quae musei Rhenani LII (1897) p. 7 sq. disputavi.

2) Erat cum 153, 23 *de* quoque praepositionem ante *caelo tacta* deesse posse opinarer, sed quaestio dirimitur loco, qui est 158, 2, ubi *signa de caelo cecidisse* Aldina praebet. cf. Luterbacherus l. c. p. 46 sq.

3) Pariter Apuleii metam. I 5 asyndeton *me vera comperta memorare* nescio cur nuper inserta vocola ac sublatum sit,

ob haec ipsa, quae vario modo corrigebantur, distinctione mutata restitui; 158, 2 *signa*, quae de caelo cecidisse visa dicuntur, nihil miri habebunt, si Graecorum ἀγάλματα διοπετῆ in memoriam revocaveris, nam de signis militariis cum Oudendorpio cogitare haud licet; 160, 19 *impensas*, quod vocabulum a Scheffero et Iahnio graviter corruptum putabatur, allatis locis Palladii I 9, 4 et Frontini de aq. 124, ubi id significat, quod ad aedificationem impenditur, i. materiem, tutatus sum¹⁾; ibid. 21, *Cumis*, quod post Iahnium ante *lacrimavit* adiciebatur, cum Cassius quoque Dio XXIV fragm. 84, 2 omiserit, necessarium non esse patet; 168, 22 non statuæ caput, sed columnæ verbis *cum capite columnaque* indicari musei Rhenani l. c. p. 1 sq. docui eamque ob causam nihil hic mutandum esse²⁾; 180, 23 in enuntiato *puer* — *decidit* nihil corruptum esse ibid. p. 2 pluribus exposui.

Ex clausularum apud Obsequentem observatione nullus ad verba eius constituenda fructus redundat. sunt autem Livianis et periocharum, de quibus supra dictum est, similes,

praesertim cum verba sint comitis Lucii per solis numen iurantibus. in eiusdem Apuleii dialogo Asclepio eum, qui ante annum libros illius de philosophia recensuit, P. Thomam fugit haec verba lacuna hiantia (21, p. 57, 12) *animadvertas, ut altera avide alterius rapiat interiusque recondat* ad imitationem versus Vergiliani georg. III 137 *rapiat sitiens Venerem interiusque recondat* composita esse. quare inter *rapiat* et *interiusque* nomen *Venerem* intercidisse patet.

1) Similiter apud Arnobium IV 16, p. 153, 16 Reifferscheidii, ubi graviter corrupta haec verba putantur *tutunis, quae marita et puerpera totiens castitatis purae inminuta es sanctitate*, vix quicquam mutandum est. latet *tutin* (vel *tutun*) *es*, quo recepto interrogationis signum post *sanctitate* poni necesse est. deinde Cornelii Nepotis locus a multis temptatus Att. 3, 2 *aliquot ipsi* (statuas) *et Phidiae locis sanctissimis posuerunt* non ita corrigitur, ut *Phidiae* nomen mutetur, sed mendum latet in *vocula et*, quae propter hanc notam (7) ex *in* (i) facillime corrumpi poterat.

2) Simillimum igitur erat hoc monumentum columnæ caelatae ante paucos annos Mogontiaci repertae et in museo illius urbis asservatae, cui et ipsi statua aurata imposita erat.

sed oblivisci hac in re non licet prodigiorum librum aliquanto peius traditum esse. contra egregie iuvamur in crisi eorum scriptorum locis, qui eadem prodigia ^{scriptores eadem prodigia narrantes} narraverunt. quos cum Schefferus Oudendorpius Iahnus sedulo collegissent, ego, quantum potui, auxi et in adnotationibus memoravi. nolui tamen, cum eorum fere historicorum sint, qui penes quemvis hominem philologum esse solent, integros, ut Iahnus fecit, exscribere. quos, id quod iam Zange-meisterus perspexit¹⁾, nondum ea, qua par erat, diligentia adhibitos esse et in hac quoque editione aliquid ad emendandum et explicandum me contulisse, intelleges inspectis locis his: p. 151, 18; 153, 24; 155, 5; 23; 157, 5²⁾; 159, 4; 19; 164, 6; 165, 14; al. quamquam 177, 8 vereor, ne scriptura *Ptolemaideque* a Valerio Maximo I 6, 12 recepta iusto audacior fuerim, praesertim cum hoc nomen ita non satis apto loco positum sit. iam magis eo inclino, ut *indéque*, quod Aldina habet, in *itemque* a me musei Rhenani l. c. p. 10 propositum mutem et Ptolemaidis nomen ab Obsequente, homine in talibus perquam negligenti, omissum esse existimem.

Aliquanto intricatior est quaestio de aetate, qua fuerit Obsequens. ^{Obsequentis aetas} de quo quoniam nihil aliunde scimus, in hac re toti ab eius libello pendemus. cum igitur G. I. Vossius illum ex argumento, quod tractaverit, paganae fidei ad-dictum esse coniecisset³⁾, Th. Mommsenus simili atque Oro-sium ratione excerpta sua eum in finem composuisse dixisset,

1) Festschrift der Heidelberger Universität zur Begrüßung der 36. Philologenversammlung, Heidelbergae et Tubingae 1882, p. 101 adnot. 2.

2) Locis de muribus ferrum vel aliud metallum rodentibus addas velim etiam Phaedri fabulam IV 8 de vipera prae fame limam mordente, quae paululum diversa est ab Aesopea 146 Halmii. ceterum in fab. 1 scripserim καὶ τὰ γὰρ ἡρώτησαν τὸν Δία, πῶς εἶεν (εἶναι cod.) μετὰ ἀνθρώπων. qui sequitur infinitivus ἐπέχεσθαι pendet ab εἶπε (= ἐκέλευσε), id quod propter Halmium moneo. apud Phaedrum V 10, 6 verba *prae-dam dimisit*. Hic tunc in *pr. d. rictu* videntur mutanda esse.

3) De historicis Latinis, Lugduni Bat. 1627, lib. III p. 636.

Obsequens
paganus

ut Christianorum temporum felicitatem ethnicorum immanibus prodigiis inlustraret¹⁾, ego non tantum prodigia narrata esse perspexi, sed sub finem singulorum capitum etiam res gestas, quas portenderint, adiectas esse²⁾. quare crebro apud eum haec similiae leguntur: p. 153, 9 *supplicationibus habitis in Hispania et Histria bella prospere administrata*; 154, 18 *urbe lustrata pax domi forisque fuit*; ibid. 25 *urbe lustrata nihil triste accidit*; 158, 3 *prodigium maioribus hostiis quadraginta expiatum. annus pacatus fuit Viriatho victo*; 161, 6 *angues duo nigri in cella Minervae allapsi civilem caedem portenderunt. nec diversum est, si prodigia magistratui alicui Romano fiunt velut Tiberio Graccho, de quo 159, 19 haec dicta sunt: proditum est memoria, Tiberium Gracchum, quo die periit, tristia neglexisse omina*; aut C. Antonio (175, 20), quem (22) *apparuit hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere. necessarium igitur ducit scriptor* more vetere Romano prodigia publica sacrificiis expiari, certe non neglegi. talia autem quemquam ex Christianis, quos Orosii et Hieronymi exemplis sibi temperare non potuisse scimus, quin occasione oblata quaedam in impietatem ethnicam declamarent aut prodigia illa ad Christum traherent³⁾, scribere potuisse nullo modo credi potest. iam hoc certum est Obsequentem non solum non fidei Christianae addictum fuisse, sed potius ex eorum numero, qui labente iam imperio Romano a restitutis sacris ritibusque veteribus auxilium sperabant, incertum tamen, quo tempore ille scripserit. nam latissimum spatium, quo hoc fieri potuerit, inde a M. Aurelii Antonini ultimis annis usque ad Boethii et Symmachorum aetatem porrigitur. in qua vero parte po-

1) In epistula ad Iahnium missa eiusque editioni adiecta p. XVIII.

2) Pluribus haec exposui musei Rhenani l. c. p. 2 sq.

3) Hieronymus chron. II p. 139 ed. A. Schoene ad ann. Abr. 1976 *e taberna meritoria trans Tiberim oleum terra erupit fluxitque tota die sine intermissione significans Christi gratiam ex gentibus*. cf. Orosius VI 20, 4 sq.; IV 13, 12; 21, 5 sq.; V 4, 8; 19 sq.

nendus sit, cum nihil omnino de se aut temporibus suis tradiderit neque quicquam certi ex genere eius dicendi, quippe quod omnino a Liviano pendeat, concludi possit, semper dubitabitur. Vossius (l. c.) eum minimum ante Honorii tempora, quibus Paulus Orosius fuerit, vixisse coniecit, neque certior est M. Schanzii opinio, qui quarto p. Chr. saeculo eum tribuit¹⁾, quod tunc pagani omnibus viribus Christianis obstiterint. equidem malim de tempore aliquanto vetustiore cogitare hanc ob causam, quia plurima illa prodigia, quae post Livium imperatorum tempore facta erant et quae facile ex Suetonii vitis Caesarum vel aliunde petere licebat²⁾, vix ac ne vix quidem neglegi poterant. tantum enim aberat, ut prodigia eorumque procuratio neglegerentur, ut longe aliter quam primis imperii saeculis, quibus Diodorus Seneca Plinius Stoicos secuti haec in contemptum vocaverant³⁾, inde ab Antoninis et iis maxime temporibus, quibus populus Romanus ab hostibus premebatur, superstitio mirum quantum augetur. quo factum est, ut iam sub M. Aurelio Antonino id, quod incredibile fere videtur, eveniret, ut ex oraculo Alexandri illius pseudoprophetae duo leones bello Marcomannico in Istrum fluvium inicerentur, quos barbari paulo ante magnam cladem Romanis illatam e fluvio emergentes clavis obtruncaverunt. quare quamquam iam non Hadriani fere vel primorum Antoninorum temporibus Obsequentis libellum attribuerim⁴⁾, tamen inde

aetas
Obsequentis
incerta

1) Geschichte der römischen Litteratur IV p. 77.

2) cf. quae L. Wuelkerus exposuit l. c. p. 6 sq. praeterea Cassius Dio, ut ipse narrat LXXII 23, 1, librum de somniis et ostentis edidit, ob quae Septimius Severus se imperio potiturum esse speraverat, cf. A. de Gutschmid, kleine Schriften V p. 554. similis farinae videtur fuisse Aeliani *περὶ θεῶν ἐναγγελιῶν* liber, v. fragm. 24 Hercheri. fragmenta 78, 82, 106, 228, 232, 233, 285, 329 eidem libro vel simili *περὶ δαιμόνων προνοίας* attribuerim.

3) cf. 'Berliner philologische Wochenschrift' XXVII (1907) p. 1485 sq. ceterum ut a multis et diligenter tractata sunt prodigia liberae reipublicae, ita fere neglecta iacent ea, quae imperatorum temporibus facta sunt.

4) Musei Rhenani l. c. p. 7.

a M. Aurelii aut Commodi aetate, sed etiam sub Alexandro Severo, Gordiano, Claudio Gothico, aliis talia scribi potuisse consentaneum est et ne ad nimis recentem aetatem descendamus, causa illa, de qua paulo superius dixi, nos impedit.

initium
libelli
deperditum

Ceterum iam primus editor, id quod ex inscriptione *Iulii Obsequentis ab anno urbis conditae quingentesimoquinto, prodigiorum liber imperfectus* intellegitur, libelli iniuria temporis singulis quoque locis multis male habiti partem tantum superesse perspexit, sed hoc non librariorum, verum scriptoris ipsius culpa factum esse opinatus est. iure autem Iahnus (p. XVI) titulum illum in fine codicis subscriptum fuisse coniecit et lacunam ineunte libro statuendam esse, qua prodigia annorum quingentesimi quinti a. u. c. usque ad quingentesimum sexagesimum quartum, a quo hodie Obsequens incipit¹⁾, perierint. videtur autem sine temeritatis opprobrio etiam paulo longius progredi licere. nam cum vix credi possit, praesertim si memoria illa tenuerimus, quae Obsequens de eventu prodigiorum pluribus locis adiecit²⁾, statim ab ipsa illorum enumeratione eum initium cepisse, admodum probabile videtur eum prooemio quodam aut breviori aut prolixiore aliquid de causa, qua permotus prodigia composuerit et cur ab ipso illo anno coeperit, praemisisse³⁾. adiecta fortasse nonnulla erant de prodigiis procurandis et expiandis aut similia, sed diutius his immorari nolo, ne a verisimilibus ad incerta delabar.

Haec habui, quae de periochis fragmentis Oxyrhynchi repertis Obsequente dicerem. addam in emendationibus virorum doctorum indicandis hanc me mihi legem scripsisse, ut eos tantum nominarem, qui primi eas protulerunt. itaque

1) Post Mommsenum, qui apud Iahnium p. XX prodigia ante annum a. u. c. quingentesimum quintum publice non fuisse litteris tradita coniecit, plures de hac re quaesiverunt, quos Wuelkerus enumeravit p. 58 adn. 3.

2) v. supra p. XXXIV.

3) Probavi hanc rem, quam iam musei Rhenani l. c. p. 5 exposui, M. Schanzio (Geschichte der römischen Litteratur IV p. 77), oblocutus est causis non allatis L. Wuelkerus (p. 79).

si, id quod alicubi in adnotationibus ad fragmenta Oxyrhynchiaca factum est, duo emendationis alicuius auctores memorantur, ab altero eam inceptam, ab altero consummatam esse scito. ceterum Drakenborchii Oudendorpii aliorum commentariis, id quod Iahnus neglexerat, diligenter excussis haud paucas coniecturas iam ab illis prolatas esse vidi, quas denuo nostrae aetatis homines docti proposuerant, et primis auctoribus reddidi. in rebus orthographicis eas leges, quas in Seneca (v. De Senecae recens. et emendat. p. 123) et Floro (prae f. editionis p. LIX sq.) recensendis mihi scripsi, secutus sum, ut libros vetustissimos, quantum fieri posset, sequeretur neque ad eandem omnia normam adaptarem. nam constanti inscriptionum usu constat antiquos scriptores in talibus nobis aliquanto neglegentiores fuisse. ceterum dum negotio iam ad finem perducto rem universam considero, tantum abesse video, ut rem a me perpetrata esse putem, ut haud pauca restare confidam, quae alii nos, dummodo recte periochis fragmentis Oxyrhynchiacis Obsequente usuri sint, de Livii ipsius immortalis opere docere possint.¹⁾

Superest ut non more in his praefationibus decantato, sed ex animi sententia iis viris doctis gratias debitas agam, qui me in hac editione adornanda adiuverunt et quos omnes supra memorare nondum licuit. sunt autem primum duoviri Oxonienses, B. P. Grenfell et A. S. Hunt, qui eadem benevolentia, qua per aliquot iam annos plurimis omnium nationum viris eruditis succurrerunt, me quoque transmissa imagine septimae columnae papyri Oxyrhynchiacae et nonnullis locis ea ipsa inspecta sibi devinxerunt. accessit tertius philologus Britannicus clarissimus, F. G. Kenyon, qui eandem chartam pretiosissimam Londinii meum in usum pluribus

1) In periochas, quae sunt de bello sociali (74—76), summa licentia Th. Reinach grassatus est in 'Revue historique' XLV (1891) p. 41 sq. et addendo eiciendo transponendo epitomatoris verba ita constituit, ut res ipsas gestas esse arbitratur. ineunte periocha 74 deceptus asterisco ab Iahnio posito ante vocem *obsedit* lacunam in codice 'Nazareno' extare dixit.

locis examinavit. optime ex nostratibus viris eruditis de hac editione meritus est E. Kornemannus. neque enim tantum concessis omnium papyri columnarum imaginibus solis ope effectis, quae penes eum sunt, effecit, ut per aliquot menses domi meae diligentissime eas pertractare mihi liceret, verum etiam omnes huius exemplaris plagulas legit et typographi menda meaque emendavit. idem quominus faceret is, qui post Th. Mommsenum et O. Iahnium optime de periochis Livianis meruit, morte prohibitus est E. Woelfflinus, vir mea laude maior. qui quamvis bibliotheca sua, quam thesauro linguae Latinae donaverat, destitutus et Basileae senex venerabilis otium cum dignitate agens, tamen ultimis vitae mensibus libenter ad hunc scriptorem, quem iuvenis feliciter tractaverat, me rogante rediit et primis tribus plagulis plurimas utilissimasque notas aspersit.

scribebam Regimontii Prussorum
mense septembri anni 1909.
